



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber dissencionum archiepiscopi Coloniensis et Capituli Paderbornensis

Dietrich <von Engelsheim>

Münster, [1893-1897]

13. De fundacione Paderbornensis ecclesie, nominibus episcoporum, et avizamentum pro regimine et electione episcoporum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54427](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54427)

Detmaro de Winden displicebat, qui dixit, quod vellet libentius cum dyabulo concordiam inire, quam sub tali periculo cum domino permanere. Et si concordati tunc fuissent modo, ut prefertur, si ne fallo, optimum finem sine velle domini statim fuissent consecuti. O insaciabilis libido dominandi, que, ut matrem ditares,¹⁾ filiam tradidisti! Non alia quam avaritie es, cuius radix insatiabilis est, et dequanto magis per eam accessit²⁾ de tanto magis sitit, sic quod sententia philosophorum verificatur, qua dicitur: „Cum omnia vicia senescunt, „sola avaricia iuvenescit!“ Quod maxime in proposito verum, cum ecclesia Coloniensis sine Paderbornensi pro tribus episcopis habunde sufficeret, attamen ad eandem talem³⁾ ecclesiam Paderbornensem libenter incorporatam et unitam sibi eatinus retineret. Parcat ei Deus, quod in detrimentum fundatorum hoc presumpsit attemptare!

Quia vero illa sancta venerabilis ac merito extol- **13.**
lenda ecclesia Paderbornensis iuxta illius egregii dicta-
toris et scriptoris vite reverendi et pie recordationis
Meynweri, episcopi Paderbornensis, per beatum Karo-
lum Magnum, imperatorem, sub annis dominice incar-
nationis septingentesimo nonagesimo quinto Westphalis **795**
a fide relapsis et reductis erat gloriosissime fundata,
dotata et in dote augmentata et per XXXIIII ierarchas
sive episcopos recta, gubernata et sepius augmentata,
ut puta: illos Hatumarum, Bathuradum, Luthardum,

¹⁾ bereichern, ²⁾ = accrescit. ³⁾ scil. ecclesiam Coloniensem.

Bysonem, Theodericum, Uvanum, Dudonem, Volcmarum, Retharium, Meynwerkum de Rethem, Rothonem de Dasele, Imadum de Plesse, Poponem, Henricum de Pirmunt, Bernhardum de Osede, Evergisum, Sifridum,¹⁾ Sifridum de Altena, Bernhardum, Bernhardum, Oliverum, Wilbrandum de Hallermunt, Bernhardum de Salkesberge, Simonem de Scardenberge, Ottonem de Retberge, Guntherum de Swalenberge, Didericum de Ittere, Bernhardum de Lippia, Baldewinum de Stenvorde, Henricum Spegel, Symonem de Sternberge, Roppertum de Monte, Johannem de Hoya, Bertrandum, Wilhelmum de Monte, donec deventum fuerat modo, ut prefertur, ad dominum nostrum Coloniensem in formis istius libri luce clarius conscripti. Qui statum gloriosum et bonum profectum ecclesie tenuerunt et procurarunt inclito fructu subsequuto. Quorum vias dominus noster Coloniensis, eorum successor aliter, quam prefertur, non erat imitatus, sed ut suis incrementis destitueretur, instetit. Unde divina fuisset leza²⁾ maiestas, apostolica autoritas, imperialis celsitudo, archiepiscopalis subieccio et totius ierarchie ecclesiastice Paderbornensis episcopatus, tam in capite quam in membris ordo, regimen et gubernatio. Et cum id, quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, idcirco omnes premissi domini de capitulo ordinaverunt, adiri³⁾ sue ierarchie abbates, prepositos, decanos, capitulares, et singulorum suorum coniunctorum voluntatem et consilia requisiverunt. Quibus habitis, bene rimatis⁴⁾ et attentis ipsi tamquam fortes dimicatores, prudentes actores, pacifici imitatores in multa patienti concordia suam ierarchiam in pristinis inste-

¹⁾ Sifridus ist unrichtig zweimal aufgeführt; es hat nur einen Paderborner Bischof dieses Namens gegeben. ²⁾ leza = lesa.

³⁾ daß angegangen würden. ⁴⁾ auskundschaften, erforschen.

terunt conservare illesam diversis mediis hic conscriptis, dicto domino Coloniensi obviando et oviantia¹⁾ procurando. Quapropter ipsos laudo, recomendo, venerandos in evum pronuntio, affectans, ut eorum successores canonici hiis attendant, ea respiciant, pre oculis iugiter habeant, eis gratiarum actiones retribuunt, quod sic solempni resistentia se et suos in pristino conservabant, et similiter agere possint, si eis talia, que deus avertat, in posterum occurrant. Volentes autem illis providere, illud antiquorum documentum in evum pre oculis habeant, quo docetur: „Maiorem te in domum tuam ne recipias!“ Quod ecclesie maiores, archiepiscopales ecclesie temporibus meis et per plura tempora in antea considerarunt, rarissime de supraillustrium aut illustrium²⁾ sibi in episcopos elegentes, prout in Treverensi, Moguntina, Coloniensi, Magdeburgensi et Bremensi ecclesiis optime sum expertus. Quod minime in Paderbornensi a sexaginta annis proxime preteritis est consideratum. Unde omnia hec conscripta originem inceperunt. Do consilium ac revera et pura conscientia teste Deo consulo dominis, preposito, decano et capitulo, dominis meis iure merito venerandis, ne amplius eis de manu potentum liberatis de illustrium aut potentum genere in episcopos eligant, postulant aut recipiant, ut eorum regimine tiranico adventuro resistere possint adiumento aliquo non requisito, sed ut de suo capitulo eligant, dummodo aliquo qualiter abilis³⁾ ad regimen inter ipsos poterit reperiri. Nec quemquam privilegio suo super episcopis eligendis per imperatorem Karolum concessio postulare⁴⁾ sine urgentissima et manifestissima causa disponant, sed instent pro sibi

1) oviantia = obviantia. 2) scil. stirpe. 3) = habilis.

4) Der Nachdruck liegt auf postulare, im mittelalterlichen Latein mit der Nebenbedeutung, einen Fremden wählen, der nicht zu dem betreffenden kirchlichen Sprengel gehörte.

equali, non eccellente, nec infime potente, sed medie, iuxta normam: „Medium tenere beati,“ et normam: „In „medio consistit virtus“. „Etiam omnipotens deus, dum „medium silentium tenerent omnia de regalibus sedibus, „processit“;¹⁾ sic medium et non extrema immitans. Cuius actio nostra debet esse instructio. Queratur igitur talis medio modo potens, in ecclesiasticis doctus, armis valens decorari,²⁾ ut se et suos valeat defendere ex adversis, et qui se suos possit ruralium³⁾, bubullorum et pecorum industria⁴⁾ enutrire; nam sine illis tribus litteris,⁵⁾ quo ad ecclesiasticos armis contra insidiatores et invasores et dispoticos,⁶⁾ quo ad nutrimentum nullo modo est sufficiens pro pastoralis cura et regimine ecclesie Paderbornensis memorate assequendis. Et cum obiectialiter omnis intensio presentis scripture versetur circa dissensiones domini Coloniensis et capituli Paderbornensis prenominatorum ea ratione, qua unione et incorporatione ecclesia Paderbornensis omnibus suis privilegiis ut kathedrali concessis maxime privaretur precipue in amittendo⁷⁾. Et ideo privilegium sere-

¹⁾ Ungenaues Citat aus dem I. Sapientiae. C. 18. ²⁾ glänzen.

³⁾ rurales Dorfleute, wohl eigenbehörige Leute, Leibeigene.

⁴⁾ industria ist hier dem Sinne nach „Einkünfte.“

⁵⁾ littera entspricht in dieser Fassung wohl unseren „Besitztitel.“

⁶⁾ Schreibfehler statt dispoticos.

⁷⁾ Die buchstäbliche Wiedergabe der beiden letzten Worte ergibt keinen Sinn; es scheint gelesen werden zu müssen: „ea animadvertendo.“ Darnach wäre der Gedankengang folgender: „Und da sachgemäß „sich die ganze Richtung der gegenwärtigen Schrift um die Streitigkeiten des Kölner Herrn und des Paderborner Domkapitels bewegt, „insofern als die Paderborner Kirche durch die Vereinigung und „Einverleibung aller ihrer Privilegien, vornehmlich derjenigen, die „ihr als Kathedralkirche verliehen waren, beraubt werden sollte, so „richte ich besonders auf diese (ea scil. privilegia) mein Augenmerk.“ Der Gerundivform statt des tempus finitum sind wir bei dem Autor schon mehrfach begegnet. Diese Lesart schließt sich auch gut an den Gedankengang des folgenden Satzes.

nissimi imperatoris Karoli super electionibus episcoporum capitulo concessum hic immediate conscribendo referam. Quo perduto ecclesia viduata et acephala remaneret; nam capite ierarchico avulso impossibile est, corpus in suo robore permanere, quod, dum eligi non contingeret, ierarcha illis ierarchie non adveniret. Quo non superveniente cessarent omnes actus ierarchici, nec ierarchicus ordo inferiorum ad similitudinem celestium ordinis ierachiarum iuxta pristinum remaneret. In quo ordo divinitatis ab eterno ordinatus circa istum locum, ierarchiam, ecclesiam, inferiores istius ierarchie Paderbornensis penitus deperiret in magnam sanctorum celestium agminum displicentiam, cum per hoc suis consuetis serviciis, honoribus, orationibus, solempnitatibus, cerimoniis, personis servientibus iuxta institutionem eternaliter provisam et instituencium voluntatem confirmatam [carerent].¹⁾ Quod peto, ut divina maiestas avertat.

¹⁾ ist im Originaltext ausgeblieben.